

serenissimus et potentissimus rex Catholicus suae maiestatis oratores, procuratores, legatos et commissarios sufficienti auctoritate munitos constituit et in Angliam transmisit ad tractandum cum dicto illustrissimo et potentissimo rege Angliae, commissariis vel deputatis suis sufficientem ad hoc auctoritatem habentibus, de tempore, loco, modo, forma mutui inter ipsos conventus et congressus, et aliis rebus communes amicitias concernentibus, hinc nos dicti serenissimi et potentissimi domini nostri regis Angliae oratores, procuratores, legali et commissarii sufficienter ad hoc auctoritati virtute commissionum nostrarum, quarum tenor inferius inseritur, cum reverendo in Christo patre domino Bernardo da Mesa miseratione divina Elenensi episcopo et magnificis viris domino Gerardo de Fleine, domino de Magni de la Rocha et Filipo Hancton thesaurario ordinis aurei velleris primario secretario, consiliariis, procuratoribus et oratoribus in hac parte Excellentissimi principis Caroli Dei gratia Romanorum et Hispaniarum regis etc. sufficientem auctoritatem ad hoc habentibus, quorum commissionis tenor similiter insertur, de dicto mutuo conventu et congressu abendo et aliis rebus amicitias communes concernentibus, convenimus concordamus et concludimus articulatim prout sequitur.

In primis, conventum, concordatum et conclusum est, quod dictus Serenissimus Catholicus Romanorum et Hispaniarum rex futurus Imperator semper Augustus, infra diem quintumdecimum inclusive mensis Maij proxime futuri, in portum et oppidum Sandevici in regno Angliae constitutum personaliter cum nobilibus familiaribus et domesticis suis veniet et applicabit: nisi adverso et ventorum flatu et contrarietatem seu aliorum negociorum suorum iusto impedimento propeditus fuerit. Si tamen praedictus Serenissimus Romanorum et Hispaniorum rex infra tempus praedictum ad dictum locum de Sandevici realiter descenderit, dictus Serenissimus Angliae rex eidem in persona in dicto loco realiter occurret, ac cum eo ibidem amice et familiariter conveniet et colloquetur quamdiu dictis principibus pro dicto primo congressu expedire videbitur.

Et quia dictum oppidum Sandevici minus aptum et idoneum est ad tantum hospitem honorifice recipiendum, neque aedificia aut loca aliqua habeat in quibus tantus princeps, vel pro dignitate et commoditate sua suorumque commitantium tractare, vel sicut dictus Serenissimus Angliae rex ex animo cupit eum ac suos nobiles et familiares magnifice et

spendide intertenere possit, aut ubi illustrissima Regina Angliae dicti loci augustiam commode occurrere valeat, conventum concordatum et conclusum est, quod si cum commoditate rerum et negotiorum praedictorum Serenissimorum Regum stare potuit, quod postquam dictus Rex Catholicus per unam noctem in dicto oppido Sandevici ad refocillandum corpus post longam navigationem et maris agitationem convenerit, proximo et sequenti die dicti Reges simul ad civitatem Cuquane ubi hoc in anno est remissio jubilei, reliquias divi martiris Thomae visitaturi accedent. In quo quidem loco Regina Angliae Chatolici regis matertera personaliter eum salutatura ei occurret; ubi dicti Rex et Regina Angliae dictum Romanorum Regem etc. honorifice suscipient et tractabunt, prout mutua inter dictos principes amicitia et necessitudo postulat et requirit. A quo loco, tam praedictus Romanorum et Hispaniarumque quam dictus serenissimus rex Angliae descendent quaecumque ipsis vel ipsorum alteri placuerit. Rex videlicet praefatus Romanorum et Hispaniarum in eo statu in quo venit libere discedere poterit versus naves suas, easque ascendere et intrare et dictam suam navigationem cum tota comitiva sua in terris et dominiis suis cum Dei adiutorio terminare, et dictus rex Angliae ad alia loca divertire poterit ad suae Serenitatis beneplacitum.

Item quod, si dictus Romanorum rex, ventorum adversitate aut aliorum negociorum gestorum exigentia, citra dictum quintumdecimum die Maij proxime futuri inclusive commode ad dictum portum appetere sive descendere non poterit, tunc et in eo casu, quia dictus potentissimus Angliae rex, post dictum diem, ob nonnulla negotia suum et regni sui honorem concernentia, ad oppidum suum Calisiae trajecturus est, ibidemque per aliquod menses morari et manere decreverit, ratione cuius traiectionis et morae dictus Angliae rex praefato Romanorum regi in regnum suum applicare volenti occurrere minime posset, ne dicti Romanorum et Angliae reges mutuis et flagrantissimis se se videndi desideriis frustentur, conventum et conclusum est, quod dicti Reges XXII die dicti mensis Julij proxime futuri conveniet et congregentur in certo loco medio inter Caliseam et Gravelinghes equaliter ab utroque distante, per commissarios hinc inde ad hoc deputandos et assignandos, et quod dicti Reges, ante vigesimum diem dicti mensis Julij mittent suos deputatos qui assignabunt et limitabunt dictum certum locum medium inter Caliseam et Gravelinghes recto itinere equaliter ab utroque distantem, in quo

271*